

ter dominum consentientem, agnati, quibus in prima investitura pacto expresso provisum est, itidem consentiant, per regulam, quod dominus feudi, in præjudicium agnatorum nunquam gratiam facere possit. *Vid. Andr. de Isern. c. 1. si vas. feud. priv. D. Martin. de Caratis l. 3. feud. tit. 4. §. Titius. n. 5. Schulz. c. 10. n. 68, Reusn. disp. 8. th. 59.*

CAPVT IV.

DE

OBIECTO ET FORMA.

I. Locum habet Refutatio in quovis Feudo.

Nuspiam in libris feudorum invenimus unam, vel alteram speciem feudi à regula Refutationis esse exceptam. Generaliter enim textus Juris Feudalis *supra c. 1. §. 3.* allegati loquuntur: Feudum refutari posse: nulla distinctionis mentione facta. Jam vero ubi lex non distingvit, nec nostrum erit distingvere. Ergo refutari Feudum, qualecunque illud sit, optime poterit. *Ludw. Synt. J. F. c. 15. p. 310. q. 3.*

II. Sive feudum sit ex pacto, sive hereditarium, Quan-